



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quibus dedit potestatem filios Dei fieri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

non fuerint filii Dei vsq; ad finem. Fortassis autem quis etiam hoc dixerit. quod nulli recipiunt eum per hoc quod solum cre-

Aliud porro est filios esse, aliud est perfectum filiorum statum obtinere, libertatem, & hereditatem. §. 6. Qui per baptismum filios Dei fieri saltem in voto sentiunt, vera quidem illi dicunt: sed qui inq;

§. 7. Barradius noster sic exponit, vt Evangelistæ sensus sit, Quotquot eum recipiunt per fidē & gratiam, dedit illis potestatem, vt hoc ipso, seu recipiendo fiant filii Dei.

§. 8. Pelagiani contra diuinam gratiam verba Evangelistæ torquebant. Quotquot receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri. Ergo Deus expectat, vt recipiatur, vt tum demū his, q; se receperunt, det gratiam, per quam filii Dei fieri possint.

Hic iterum Pelagianos adiuvat Pareus, vt ostendat, nō bene respō deri illis posse nisi à Manichæis arbitriū tollentib; l. 2. c. 3. de grat. & lib. arb. Quod posterius quidem ait, verissimum est: sed cum priore dō salor: si enim Deus expectat, donec recipiamus: ergo aut est in potestate nostra recipere, nec opus est praueniente gratiā: aut frustra Deus expectat. Si enim non est in nostra potestate, cur quēso Deus expectat: an ignorat nos recipere non posse? An stultus non esset qui alium expectaret, quem venturum nō esse certo sciret.

Ecce sto & pulso: pro Pelagio ludebat. Hunc laqueum ipse sibi induit, nec dissoluere potest, donec in sua hypothesis de expectatione Dei & dō dei non agnoscat. Adde quod manifeste sibi contradicit. Quod in prima propositione negabat, hic palam asserit, Deum expectare, vt recipiatur à nobis.

Rel. Deum expectare Isa. 5. v. 2. 4. 7. & 2. Macc. 6. 14. Itaq; cum scriptura eum expectare doceat, & tamen eadem etiam asseueret, neminem sine gratiā praueniente eum recipere posse: nō sunt ista dōcula, nec sibi contradicunt. Nam Isaiam, imo Spiritū S. argue- re eodem modo posset. Verba Dei sunt; Expectaui vt faceret vvas, & fecit labruscas. Et v. 7. Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas. Quid hīc blasphemia hæretica? Vel est in potestate vineæ vt faceret vvas, vel non est in potestate eius. Si non est in eius potestate, stultus es, qui expectas id quod proferre vineam scis non posse. Si es in eius potestate, non est opus tuā gratiā, iussit vineæ proprius vigor.

Verum errat nesciens scripturam. In potestate nostrā est recipere, sed in potestate quam gratia praueniens fecit. Itaq; quod ait: aut est in potestate nostra recipere, nec opus est gratia praueniente, falsum est, & prorsus hæreticum. Deus cum gratiā nos prauenit, etiam voluntatem nostram excitatam cooperari vult. Hoc est, quod de vineā illā queritur Isa. 5. 1. Cantabo dilecto meo canticū paruelis mei vinea sua. Vineam facta est dilecto meo in cornu filio ol. i. Et sepuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit eā electam, & edificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea: & expectaui vt faceret vvas, & fecit labruscas.

Ecce non reliquit vineam sibi, sed omnia fecit, quæ facere debuit, imo quæ non facere poterat, & tum demum expectaui, vt faceret vvas, Pelagiani verò vvas posse ferre sine illā gratiā docebant. Esse autem in nostrā potestate, per gratiam Dei, docet Chryst. hom. 9. In vobis a enim potestate est, ait, filios Dei fieri. Quippe nisi primū ad eam accipiendum promptum animū exhibeamus, neq; diuinum ad nos munus accedit, neq; quicquam in nobis operatur. Vbi, igitur non violentum, non coactum, sed voluntariū penitus & liberum nobis ostendit arbitrium, quod in hoc loco significauit. In istis enim arcibus & supernis bonis, Dei quidem est, dare gratiam: hominū autem, fidem exhibere.

Et Aug. l. 1. retract. c. 22. Alio loco, inquit, Nisi quis, inquam voluntatem mutauerit, bonum operari non potest, quod in nostra potestate esse possumus, alio loco Dominus docet, vbi ait. Aut facit arborem bonam & fructum eius bonum, aut arborem malam, & fructum eius malum. Quod non est contra gratiam Dei, quam predicamus. In potestate quippe hominū est mutare voluntatem, sed ea potestas nulla est, nisi à Deo detur, de quo dictum est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri.

Deniq; idem Augustinus de Spiritu & litera c. 30. Liberum ergo arbitrium, ait, euacuamus per gratiam? Absit, sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim lex per fidem sic liberum arbitrium per gratiam, non euacuatur, sed statuitur. Neq; enim lex impletur, nisi libero arbitrio, sed per legē cognitio peccati, per fidem imperatio gratia contra peccatum, per gratiam sanatio anime abolitione peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium iustitia dilectio, per iustitia dilectionem legis operatio. Ac per hoc sicut lex non euacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides imperat gratiam, qua lex impletur: ita liberum arbitrium non euacuatur per gratiam, sed statuitur, quia gratia sanat voluntatem, quia iustitia libere diligitur.

§. 10. De sententiā, quam Chrystomi & Augustini esse dixi, grauis est cum hæreticis contentio, nam eorū iustificationem euertit Bellarm. l. 1. de Iust. c. 13. Hoc ex loco sic argumentatur. Sanctus etiam Ioannes cū ait: Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Ioan. 1. aperte docuit, eos qui per fidem Christum recipiunt, nondum esse filios Dei, sed posse fieri si pergant vterius, vt etiam sperare, & diligere incipiant. Dilectio enim proprie filios Dei facit, vt patet ex c. 2. 1. epist. eiusdē Ioan.

Deus expectat.

Gratia praueniens non tollit cooperationem voluntatis.

Chryst. liberum arbitrium asserit.

13

Qui Pareus iracundè respondet. [Hæc est, inquit, impudens deprauatio scripturæ, & manifesta hæresis, quam à Pighio didicit, contra scripturam. Deprauatio duplex est: vna, quia pro eo, quod S. Ioan. dicit: Dedit eis potestatem fieri vel esse (quod enim vtrūq; significare potest) filios Dei: iste deprauat: dedit eis potestatem posse fieri filios Dei: Altera, quia pro eo (quod S. Ioan. dicit: iis, qui credunt in nomen eius: iste deprauat: si pergant vterūq; vt etiam sperare & diligere incipiant. Vtraq; deprauatio nefaria. Posterior vertiginosa seipsam elidit: Fateatur enim prius membrum: quotquot receperunt eum, esse idem cum posteriore: qui credunt in nomen eius: quia reddit: qui per fidem Christum recipiunt, & tamen posterius membrum à fide ad spem & dilectionem detorquendo deprauat: qui sperare & diligere incipiunt. Etiam prior est hæretica: eos qui per fidem Christum recipiunt, nondum esse filios Dei. Nam huic hæreticæ assertioni aperte contradicit Apost. Oēs estis filii Dei per fidem in Christo Iesu. Falsum igitur, quod qui per fidem Christum recipiunt, nondum sint filii Dei. Quid niverò essent? An fide iustificatos, fide habentes vitam æternam, filios Dei esse homo iste negabit? Certè tam impudentem heresin Iesuitæ nunquam nobis obrudent, nec inultā ferent in Dei iudicio. Pari impudentiā affingit B. Iohannis: quod dilectio nos faciat filios Dei. [Atqui hoc nusquam dicit B. Iohannes, sed totā epistolā vrget dilectionem Dei & proximi, non vt causam efficientem, sed vt propriam affectionem & notam adoptionis nostræ.]

Respondeo. Furor iraq; mentem eripere obliuioso seni Pareo. Non didicit ista Bellarminus à Pighio, (quanquam ab eo didicisse, cōtumelia non est) sed aliorum est ille discipulus. Primo Augustini; qui retract. l. 1. c. 22. & Chryl. hom. 10. caterorumq; qui fidem sine caritate negant ad salutem aut iustificationem quicquam prodesse, nisi quod initium est.

Pareus calumnia.

Deinde, quā aperte & veritatis & sui obliuiscitur. [Deprauatio duplex est, inquit, vna, quia pro eo quod S. Ioan. dicit: dedit eis potestatem fieri vel esse filios Dei: iste deprauat: dedit eis potestatem posse filios Dei fieri.]

Primo quidē cum Bellar. correxit exemplar vltimę editionis cōsulerē, suspicari cœpi fortè in priorib. ita esse, sed curā me liberauit citatio Pareana. Nam Bellar. citat: posse filios Dei fieri: non autē, dedit eis potestatem posse filios Dei fieri. quod nusquam habet Bellar. nec ex eo citat Pareus, sed vt ostendat sibi se ius mentendi cōtulisse. Audeat iterum Bellar. textū deprauasse, dicendo, dedit eis potestatem posse fieri filios Dei: & tamen citatis verbis Bellarmini, se mentiri profiteatur.

Nam Bellar. dicit, datum posse fieri filios Dei: non datam potestatem posse fieri filios: dare a, potestatem fieri filios Dei, est dare posse fieri: non igitur Bellar. est deprauatio nefaria: sed aduersarij calumnia improba.

Alterā deprauatio et nulla est. Nusquam. n. Bellar. pro eo, quod Iohan. habet: iis, qui credunt in nomen eius, substituit illa: si pergant vterūq; vt sperare & diligere incipiunt. Itaq; & illa calumnia vertiginosa est. Bellarmin. vult eis qui receperunt eum, hoc est, qui credunt in eum, potestatem datam, filios Dei fieri; si pergant sperare, amare, dilectio enim filios Dei facit. 1. Ioan. c. 2. Hæc Bellar. ex Aug. Chryl. Theoph. Paciano, alijsq;

Multi fide habent caritate carnes.

§. II Quod vero hæresin vocat, cum dicitur: Eos qui per fidem Christum recipiunt, nondum esse filios Dei. Causam contra Euangelistam suscipit: Nam ille dicit, datā illis potestatem fieri filios Dei, hoc est datū posse fieri filios Dei, non dicit esse filios Dei. Ex prudenti igitur interpretatione verba Ioannis perpendenda sunt. Alio qui qui solā fide recipiunt, nondum sunt filii, nisi adfit & caritas, nec ad rem facit locus ad Gal. 3. 26. Omnes estis filii Dei, per fidem in Christo Iesu. Nam Apost. de viua fide per caritatem animatā loquitur, atq; adeo de fide baptizatorum, probat enim per fidem esse filios Dei, quia Christum induerent, in Christo baptizati. Quod si quis catechumenus fidem habet, sed caritatem nondum habet, is postquam etiam sperare & diligere incipit, per fidem tanquam initium & originem filius Dei efficitur: initium. n. regenerationis est fides. Qui fide iustificati sunt, oēs sunt filii Dei, sed sunt nonnulli qui fidem habent, sed nondum iustificati sunt, quia deest pœnitentia caritasq;, quam sequitur iustificatio.

VERSUS 13.

Qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

QUESTIO I.

Quid nasci ex sanguinibus?

§. I. R. Regenerationis sanctitatem, integritatem, & dignitatem astringit, ex dissimilitudine naturæ humanæ: alio enim modo filii Dei, alio hominum filij nascuntur. Hoc Chryl. Cyrill. Euthy. Iudeorum et inanem iactantiam retundit, in carne gloriantium, quod essent filij Abraham; at Ioannes, sanguines, voluntatem carnis, voluntatem viri Deo opponit. Qui per sanguines continuam sanguinis successione intelligunt, in quā Iudæi gloriabantur, & nobilitatis iactationem arbitrabantur, repudiari, ideo non probō, quia si Deum spectemus, nemo ducit

Genus alio à sanguine Diuum.

Nehoc agitur, vt discamus magnates non præferri plebeis, sed vt oēs cognoscant, se ex ortu suo non nisi lucū esse. Ideoq; nec id ad rem pertinet, quod ex voluntate carnis de illegitimo, ex voluntate viri de legitimo concubitu interpretatur, Quorsū. n. diceret: eos quō ex matrimonio, sed ex imitatione nati sint, sed ex Deo, filios Dei esse: stultissimè Illyricus hæc accommodat ad eos, quod virorū præstantiū leges, ac instituta sequitur; cū Christus iubet imitari sanctos, quorū et filii sumus. Non est vlla mentio hęc de imitatione sanctorū, quod laudari solet: clamante Domino: oera Abraham facite.

§. 2. Nonnulli relatiuum Qui ad filios referunt in hunc modū. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, quod filii non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, & c. sed ex Deo nati sunt. Eos Cornel. Iansen. Maldon. refutant, quod cum præcesserit verba, dicendum fuisset, non est. Quod probabile est. Si quis tamen contēdat, generis pmutationē esse vitatam, non magnopere laborandū esset, cum his in reb. sensus, non a. verborum ratio tenen soleat. Malo tamen vt verū superiorem interpretatum sum, ad eos qui receperunt, referre, etiam in græco scriptum esset: ois filii. Nā reuera, qui receperunt, & acceperunt potestatem, vt fierent filii Dei, nequaquam ad hoc ex sanguinibus, & parentū voluntatibus, aut carnis impetu, in quo nihil diuinū est, sed ex Deo nati sunt.

§. 3. Nasci ex sanguinibus, a humano more nasci, ex corruptā naturā, vt solent homines carnales, & oēs ita nascuntur filii iræ. Nam Matth. 16. 17. 1. Cor. 15. 50. Gal. 1. 16. Eph. 1. 16. caro & sanguis de carnalib. hominibus dicitur. his opponitur natiuitas quæ ex Deo est. Nō quod non & ex sanguinibus parentū nati sint illi, sed quod non & ex sanguinibus parentū nati sint illi, sed filii iræ.

Sanguines, siue vt est apud Aug. sanguina, honestè vocat, semina genitalia, ex quib. factus oritur & formatur דם דמיני damim apud Rabbinos numero plurali, precii & estimationē significat. In scripturā vero sanguines, & pœnas sanguinū. Crebro a. ponuntur plurale pro singulari. Sic Exo. 22. 2. Sponsus sanguinū. Pl. 57. & 1. Par. 28. 3. & 24. 25. & Of. 4. 2. & 2. Reg. 16. & 9. 7. Pl. 51. 16. Mich. 7. 2. Clarissimè Gen. 4. 10. Vbi vox sanguinum, pro, vox sanguinis. Hebraismū itaq; retinuit Ioannes, præsertim cum ex vtriusq; patris sanguine oriatur filius.